

suorum gratiâ , ut linguæ Latinæ ignavis prodesset , patrio sermone annum ante trigessimam ætatis suæ etruscos libros primum , secundum , ac tertium de Familia , quos Romæ die nonagesimo , quàm inchoarat , absolvit , sed ineliminatos , & asperos , neque usquequaque etruscos ; Patriam enim linguam apud exterarum nationes per diuinum familiæ Albertorum exilium educatus non tenebat , & durum erat hac in lingua scribere eleganter , atque nitide , in qua tum primum scribere non assueverat . Sed brevi tempore multo suo studio , multa industria id assuetus exitit , ut sui cives , qui in Senatu se dici eloquentes cuperent , non paucissima ex illius scriptis ad exornandam orationem suam ornamenta in dies suscepissent . Scripsit & præter hos annum ante trigessimam pleraque intercænales , illas præsertim jocosas , Viduam , Defunctum , & istis simillimas , ex quibus quod non sibi satis mature editæ viderentur , etsi festivissimæ forent , & multos risus excitarent , tamen plures mandavit igni , ne obrectatoribus suis relinqueret , unde se levitatis forte subarguerent . Vituperatoribus rerum , quas conscriberet , modo coram sententiam suam depremerent , gratias agebat , in eamque id partem accipiebat , ut se fieri elimatiorem emendatorum admonitus vehementer congratularetur . De re tamen ita sentiebat , omnibus facile persuasum iri posse , ut sua plurimum scriptio probaretur , quæ , si forte minus , quàm cuperet , delectet , non tamen se inculpandum esse , quandoquidem sibi fecus , quàm ceteris auctoribus non licuerit ; cuique enim aiebat ab ipsa natura vetitum esse meliora facere sua , quàm possit facere . Demum sat est putandum , si quid pro viribus , & ingenio muneris satisfecerit . Mores autem suos iterum , atque iterum perquam diligentissime cavebat , ne a quoquam possent ulla ex parte ne suspitione quidem vituperari , & calumniatores pessimum in vita hominum malum versari aiebat . Illos enim didicisse per jocum & voluptatem non minus , quàm per indignationem & iracundiam famam bonorum fauctare , & posse nullis remediis cicatricem illati eorum perfidia ulceris aboleri . Itaque voluit omni in vita , omni gestu , omni sermone & esse , & videri dignus bonorum benevolentia , & cum ceteris in rebus , tum maxime tribus omnem dicebat artem consumendam . Sed arti addendam artem , ne quid illic factum arte videatur , dum per urbem obambularis , dum equo veheris , dum loquaris ; in his enim omni ex parte circumspiciendum , ut nullis non vehementer placeas . Multorum tamen , etsi esset facilis , mitis , ac nulli nocuus , sensit iniquissimorum odia , occultasque inimicitias sibi incommodas , atque nimium graves , ac præsertim a suis affinis acerbissimas injurias , intolerabileque contumelias pertulit animo constanti . Vixit cum invidis & malivolentissimis tanta modestia , & æquanimitate , ut obrectatorum , æmulorumque nemo tametsi erga se irator , apud bonos & graves de se quidpiam , nisi plenum laudis , & admirationis auderet proloqui . Coram etiam ab ipsis invidis honorifice accipiebatur . Ubi vero aures alicujus levissimi , ac sui simillimi paterent , hi maxime , qui præ ceteris diligere simulassent , omnibus calumniis absentem lacerabant . Tam ægre ferebant virtute & laudibus ab eo superari , quem fortuna sibi longe esse inferiorem .

A ipsi omni studio , & industria laborassent . Quin & fuere ex necessariis (ut cetera omitam) qui illius humanitatem , beneficentiam , liberalitatemque experti , intestinum , & nefarium in scelus ingratiissimi , & crudelissimi conjurarint , servorum audacia in eum excitata , ut vim ferro barbari immeritissimo inferrent . Injurias istiusmodi ab suis illatas ferebat æquo animo per taciturnitatem magis , quàm aut indignatione ad vindictam penderet , aut suorum dedecus , & ignominiam iri promulgatum sineret . Suorum enim laudi , & nomini plus satis indulgebât , & quem semel dilexerat , nullis poterat injuriis vinci , ut odisse inciperet , sed improbos aiebat maleficiis in bonos inferendis facile superiores futuros : Nam satis quidem apud bonos putari sentiebat injuriam perpeti , quàm facere . Idcirco nolentibus lædere contra eos , qui laceffire parati sint , contentionem esse non æquam . Itaque protervorum impetum patientia frangebatur , & se ab calamitate , quoad posset , solo virtutis cultu vendicabat . Bonis & studiosis viris fuit commendatus , Principibusque non paucis acceptissimus . Sed quod omne ambitionis , affectationisque genus detestaretur , minus multis placuit , quàm placuisset , si plurius sese familiarem fecisset . Inter Principes tamen Italos interque Reges externos non defuere uni atque item alteri testes , & præcones virtutis suæ , quorum tamen gratiâ ad nullas vindictas , cum novis in dies injuriis irritaretur , & plane ulcisci posset , abusus est . Præterea cum tempora incidissent , ut his , a quibus graviter esset læsus , privata sua fortuna valerit pulcre pro meritis referre , beneficio & omni humanitate maluit , quàm vindicta efficere , ut scelestos pœniteret talem a se virum fuisse læsum . Cum libros de Familia primum , secundum , atque tertium suis legendos tradidisset , ægre tulit , eos inter omnes Albertos alioquin ociosissimos vix unum reperit fore , qui titulos librorum perlegere dignatus sit , cum libri ipsi ab exteris etiam nationibus peterentur , neque potuit non itomachari , cum ex suis aliquos intueretur , qui totum illud opus palam , & unâ auctoris inepitissimum institutum irriderent . Eam ob contumeliam decreverat , ni Principes aliqui interpellassent , tres eos , quos tum absolverat , libros igni perdere . Vicit tamen indignationem officio , & post annos tres , quàm primos ediderat , quartum librum ingratis protulit . *Hinc si probe estis , inquit , me amabitis : sin tandem improbi , vestra vobis improbitas erit odio .* Illis libris illecti plerique rudes concives studiosissimi literarum effecti sunt . Eos , ceterosque omnes cupidos literarum fratrum loco deputabat . Illis quæque haberet , quæque nosset , quæque posset ulro communicavit . Suas inventiones dignas , & grandes exercentibus condonavit . Cum appulisse doctum quemvis audisset , illico sese in illius familiaritatem insinabat , & a quocumque quæque ignorasset , ediscebat . A fabris , ab architectis , a nauticariis , ab ipsis futuribus , & fartoribus sciscitabatur , si quid nam forte rarum sua in arte & reconditum quasi peculiare fervarent . Eadem illico suis civibus volentibus communicabat . Ignarum se multis in rebus simulabat , quo alterius ingenium , mores , peritiamque scrutaretur . Itaque rerum , quæ ad ingenium , artesque pertinerent , scrutator fuit assiduus . Pecuniarum , & quæstus idem fuit